



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XVI. Nobis apprimè utile, dum in extremis laboramus, Salve
regina recitare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

MIRAC. VIRG. XXI.

Nobis apprimè utile, dum in extremis laboramus, SALVE REGINA recitare.

GRavisimo morbo laborabat sacerdos, qui mortem exspectans, Ecclesiastici sapienter illud dictum in animo uolebat: NESCIT homo utrum amore, an odio dignus sit. Miser. n. quid sibi euenturum esset, ualde dubitabat. Verum, dum penitus spem non abijceret, illum adijt Virgo, quae clara luce se illi uidendam ante oculos aperte proposuit. Demum cum ipso leniter locuta est. Ad languentis sacerdotis aureis ubi dulcia illa uerba accesserunt; repente omnem metum sibi abstersum sensit. Eadem praeterea sanctè pollicita est; futurum, ut secum in coelesti regno uitae immortalitate perfrueretur. Id eam ob rem se studiosè curare, & operam dare, falsa est; quòd ille SALVE REGINA, precatione, saepe maximum honorem sibi praestitisset. Nullam igitur ei clementissima moram obiecit, & ad rem ipsam statim, quae promiserat, collata sunt. dum. n. sacerdos rem ordine, uti acciderat, amicis narraret, non sine solido gaudio corporis uinculis solutus est; animaq. ad coelum euolauit. Huiusmodi praemij partem feret; quicumq. ipsam reginam hac sanctissima obsecratione saepe, & castè pio cultu prosequetur.

MIRAC. VIRG. XVII.

Cur precatio SALVE sancta parens, post diurnas preces sit instituta.

CArtusiensis ordinis monaci uniuersi ita olim libidine accensi pertentabantur; eorumque animi huc illuc diuersè trahebantur; ut nemo amplius sub illa religione militare statueret; nec quisquam eius iugum posset perpeti. Ieiunio priùs instituto Deum ardentissimis precibus obtestati sunt; ut aliud quod remedium afferret, quo se miseri illis aerumnis expedirent. Non irritae fuerunt eorum preces; neque falsa spe producti sunt. Nam cuidam è monacis, qui sanctitate excelebat, diuina uoce responsum est; ut post diurnas obsecrationes, etiam quotidie dicere SALVE sancta parens, assuescerent. Quod ubi sedulò fieri coeptum est, statim illa molestia, qua tantopere premebantur, se planè liberatos uident. Immo eius ordinis firmiora fundamenta iacta sunt.

MIRAC. VIRG. XVIII.

Sacerdoti, quem à sacris agendis ob imperitiam Episcopus abstinere iusserat, ad Virginis nutum, eorum administratio permittitur.

Imperitus sacerdos non aliter Deo rem diuinam facere didicerat, quàm in Virginis laudem. Itaque quolibet festo die, etsi aliorum coelestium memo-